



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. III. De his, quæ impediunt usum matrimonii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

eo conjux potest, & tenetur reddere debitum petenti illicite cum damno spiritali animæ suæ, cujus dominium morale habet; quamvis non possit reddere debitum petenti illicite cum periculo gravi damni sui corporis, cujus dominium morale non habet.

X. Advertit demum Sanch., quod si petens debitum illicite sit tantum reus culpæ venialis, semper teneatur alter reddere, quamvis petitio debiti sit illicita ex parte ipsius actus, & non ex circumstantia dumtaxat personæ. Ratio est, quia redditio debiti de se non est mala, & in tali casu intantum esset mala venialiter, in quantum reddens debitum cooperatur peccato veniali illicite petentis; atqui reddens debitum habet iustam causam, qua excusetur a peccato veniali talis cooperationis, ne scilicet displiceat petenti; ergo sine veniali culpa potest reddere, sive petitio sit venialiter illicita ex circumstantia personæ, sive ex circumstantia actus. Ita Sanch. contra Bonac. quæst. 4. punct. 3., qui putat esse veniale reddere debitum cum peccato veniali ex circumstantia actus.

ARTICULUS III.

De iis, quæ impediunt usum matrimonii.

- I. Quatuor sunt, quæ privant jure petendi debitum.
- II. Astrictus voto castitatis nequit debitum petere, nisi quando petito esset potius redditio; aut si aliter prævideretur in alio periculum incontinentiæ.
- III. Num votum castitatis a viro emissum invita uxore sit irritum? Etiam si non sit irritum, probabiliter potest illud ab uxore irruari.
- IV. Habens votum castitatis num teneatur post matrimonium ratum in-

gredi Religionem, ne se exponat periculo petendi debitum?

V. Si post matrimonium superveniat conjugi cognatio spiritalis, non privatur jure petendi debitum. At si superveniat affinitas, solum conjux incestuosus eo privatur. Possuntque Religiosi Privilegiati in hoc dispensare.

VI. Hac pena non incurritur ab incestuoso habente ignorantiam sive juris, sive facti; Nec ab incestuoso, qui propriam consanguineam cognovit.

VII. Conjux certus de nullitate matrimonii, quamvis id probare non possit, & censuris adigatur ad debitum reddendum, nequiquam potest illud reddere.

VIII. Quicquid sit, an possit Judex damnare illum, quem scit esse innocentem, & secundum allegata, & probata est moris reus.

IX. Dubitans de validitate matrimonii iam contracti nequit debitum petere, antequam diligentiam adhibeat, licet post primum bimestre teneatur reddere. At si dubium vinci non potest, licitum erit etiam petere, dummodo bona fide contraxerit.

X. Quod si uterque conjux dubitet, neuter potest petere, nec reddere ante diligentiam.

XI. Habens opinionem probabilem de invaliditate matrimonii sine probabilitate de ejus valore, petere debitum non potest: secus vero si utrinque detur probabilitas.

XII. Num liceat cum opinione solum probabili de carentia impedimenti matrimonium contrahere?

I. **E**gimus hactenus de actu conjugalitatis licito, & obligatorio, agendum nunc de iis, quæ privant jure petendi debitum: Hujusmodi sunt Votum castitatis, Cognatio spiritalis, & affinitas post matrimonium orta; nec-

necnon dubium de valore matrimonii.

II. Quæritur itaque primo; An votum castitatis conjugis impediat petitionem ac redditionem debiti?

Respondeo cum communi, conjugem astrictum voto castitatis non posse petere debitum, debere tamen reddere. Prima pars patet, quia votum castitatis fert secum obligationem abstinenti ab omni actu venereo; ergo qui castitatem vovit, non potest petere debitum; & conjugem defuncto, tenetur omnino castitatem servare. Secunda pars probatur, quia vinculum iustitiæ fortius est vinculo voti; cum non acceptetur a Deo promissio rei alterius; atqui per matrimonium contractum acquisivit alter jus in corpus voventis; ergo non potest votum tali juri præjudicare; & consequenter qui vovit castitatem, tenetur debitum reddere conjugi petenti. Hoc tamen intelligendum est post primum bimestre; nam intra primum bimestre, cum nemo teneatur reddere, consequenter nec potest licite reddere qui vovit castitatem: Si tamen intra primum bimestre prima vice consummaverit matrimonium, tenetur deinde semper reddere petenti.

Notat tamen Sanch., & Perez, quod quamvis qui vovit castitatem, non possit alterum provocare, ut petat; quia sic indirecte ipse peteret; tamen quando vir, verbi gratia, obstrictus voto probabiliter putat, in Uxore non audente præ verecundia petere esse voluntatem petendi, potest ipse directe petere, eo quod talis petitio esset revera redditio debiti posita petitione interpretativa Uxoris. Et sane matrimonium esset uxori nimis grave, & onerosum, si semper deberet ipsa petere: Quare ad vitandum hoc inconveniens potest vir voto obstrictus offerre se illi ad usum conjugalem, quando prudenter judi-

cat ab ea copulam appeti: Præsertim si in illa prævideat periculum incontinentiæ; nam votum non obligat ad non petendum, cum impendio ruinæ alterius conjugis. Quod si vir vovit castitatem cum consensu uxoris renunciantis juri suo, certe nunquam poterit se illi offerre ad usum conjugalem gratia non reddendi matrimonium onerosum; cum uxor dando illam licentiam, cesserit juri suo.

III. Docuit D. Th. in 4. disp. 32., Palud., Sot., & alii apud Con. disp. 34. dub. 6. votum castitatis emissum post matrimonium consummatum esse omnino irritum, præsertim si fiat a viro; quia cederet in grave præjudicium Uxoris, cui ob innatam verecundiam grave est, si semper debeat petere, quoties matrimonii usum appetit. Sed communius cum Sanch., disp. 35., Perez, & aliis docent, esse validum, etiamsi fiat sine licentia conjugis. Quod patet ex cap. *Quidam* 3. de *Conversione Conjugatorum*, ubi decernitur, professionem factam a viro, renuente uxore, esse nullam; at obligari voventem ad votum castitatis in ea professione emissum, in quantum se potuit obligare. Potest tamen conjux alterius conjugis votum castitatis irritare indirecte, quatenus materia talis voti est circa rem sibi subjectam, ut probabiliter docet Illung apud Croix de voto num. 102.

IV. Quæritur secundo; An qui vovit castitatem ante matrimonium, vel post matrimonium ratum, teneatur ingredi Religionem, ut votum servet adequate?

Respondeo cum communiori negative, contra quamplures apud Con. disp. 34. sect. 5. Ratio est, quia ad servandum votum nemo tenetur assumere medium, quod sit difficilius ipsa re, quam vovit; Verbi gratia si quis voveret peregrinationem Lauretana-

nam,

nam, & deinde transferret in Indias suum domicilium, quamvis peccaret transferendo domicilium sine causa ante impletionem voti, tamen non teneretur amplius ex Indiis peregrinari Lauretum; quia esset nimis durum, & moraliter impossibile, votum illud implere. Hinc *Joan. 22. in Extrav. Antiqua concerrationi* statuit, voventem juxta casum adductum castitatem inducendum quidem, sed non compellendum ad Religionem ingrediendam. Quod si videret, se esse in proximo periculo violandi votum, nisi Religionem ingrederetur, posset tali periculo occurrere, petendo dispensationem, aut orationibus, jejniis, elemosynis compescendo stimulos carnis.

V. Quæritur tertio; An cognatio spiritualis, vel affinitas supervenientes matrimonio impediunt usum illius?

Respondeo, quod si post contractum matrimonium superveniat cognatio spiritualis cum altero conjugē, per hoc scilicet quod alter baptizet, vel suscipiat in baptismo, aut in confirmatione filium communem, aut filium alterius conjugis, neuter privatur jure petendi, vel reddendi debitum. Ratio est, quia vel id factum fuit ex necessitate, & non est æquum, ut aliquis suo jure privetur per hoc, quod satisfaciatur suæ obligationi: vel id factum fuit extra casum necessitatis, & quamvis certum sit, quod mortaliter peccaverit, qui sine necessitate baptizavit, aut suscepit filium suæ conjugis, tamen probabiliter docent Sanch. lib. 9. disp. 26., & Con. contra Gutier., Henr., Ledesm., & alios, quod iste talis non privetur jure petendi debitum, quia ex nullo textu id clare colligitur; & in odiosis mitior pars accipienda est. Si vero post contractum matrimonium superveniat affinitas, per hoc videlicet

quod alter conjux incestuose cognoscat alterius consanguineum, vel consanguineam in primo, vel in secundo gradu, in tali casu conjux innocens potest petere, ac reddere debitum, conjux vero incestuosus potest solum reddere, non tamen petere, ex *Cap. 1. de eo, qui cognovit consanguineam*, quamvis Religiosi privilegiati possint in hoc dispensare.

Notandum tamen cum Bonac. quæst. 4. punct. 2., quod si quis commisit talem incestum ex metu gravi injuste incussio, non privetur jure petendi debitum. Ratio est, quia sicuti hujusmodi metus excusat ab incurrendis censuris; ita etiam excusat ab incurrenda pœna privationis debiti. Etenim Ecclesia non punit suis gravibus pœnis eos, qui ex tali metu transgrediuntur legem suam, eo quod nolit suam legem in tali casu obligare; atque adeo quamvis iste incestuosus peccet contra legem Dei, non peccat contra legem Ecclesiæ, & sic non incurrit pœnam ab Ecclesia latam, quod privetur jure petendi debitum.

VI. Notandum secundo cum eodem Bonac., nec incurri talem pœnam ab incestuoso habente ignorantiam sive juris, sive facti, sive talis pœnæ: Sicut nec incurritur censura, & in commaniori sententia nec Irregularitas orta ex delicto ab habente aliquam ex istis ignorantis. Dicitur autem habere ignorantiam juris, qui ignorat talem incestum esse prohibitum etiam ex lege positiva humana, & non ex solo jure naturæ: Habet ignorantiam facti, qui ignorat hanc esse suæ uxoris consanguineam: Habet demum ignorantiam pœnæ, qui ignorat hanc pœnam esse impositam tali incestui, quod scilicet incestuosus privetur jure petendi debitum. Ratio vero doctrinæ est, tum quia jura prohibent petitionem debiti, quando contracto matrimonio scienter contrahitur

tur

tur affinitas, ex cap. i. de eo, qui cognovit consanguineam; tum etiam, quia minor est contemptus contra legem, quando violatur lex continens graves poenas iis ignoratis, quam illis cognitis; ergo æquum non est, ut transgressor subjiciatur iis poenis, quas ignoravit, quibus subjicitur, qui eas non ignoravit; Alioquin quantitas poenæ non proportionaretur quantitati delicti, ut advertunt Navar., & Sanch. lib. 9. disp. 31.

Notandum ultimo, quod quamvis Incestuosus, qui cognovit consanguineam suam conjugis in primo, vel secundo gradu privetur jure petendi debitum, incestuosus tamen, qui cognovit propriam consanguineam, licet gravius peccarit, non privatur tamen tali jure. Et ratio est, tum quia ille solus incestus parit affinitatem cum conjugate; tum etiam, quia illi solum delicto, quod facilius accidere potest, talis poena est imposita a lege positiva humana.

VII. Quæritur quarto; Utrum conjux certus de nullitate matrimonii possit licite reddere debitum, si nullitatem probare non possit, & ad reddendum debitum compellatur sub excommunicatione?

Respondeo, id affirmare Magistrum sententiarum, & Hugonem de Sancto Victore apud Con. dub. 10. Primo, quia conjux, qui est in bona fide, habet jus petendi debitum: ergo alter tenetur reddere, quamvis certus sit de nullitate matrimonii. Secundo, quia ex duobus malis minus est eligendum; atqui minus malum est reddere debitum in tali casu, quam contra justitiam, & Ecclesiæ præceptum cum scandalo negare petenti debitum, & nolle cohabitare cum illo; ergo Tertio, non est minus malum occidere innocentem, quam fornicari; sed iudex licite occidit, quem privatim novit innocentem, si

publice probatus sit nocens, & reus, juxta probabilem doctrinam Thomistarum; ergo conjux pariformiter licite reddit debitum ei, qui publice probatur esse ejus conjux, quamvis privatim sciat, matrimonium esse nullum. Quarto, Sacerdos tenetur dare Eucharistiam peccatori petenti illam publice, quamvis occulte, & privatim sciat esse indignum; eo quod ille habeat jus petendi; ergo pariter conjux, qui scit occulte, matrimonium esse nullum, tenetur reddere debitum, quando alter bona fide petit, eo quod habeat jus petendi.

Communis tamen sententia negat posse in tali casu debitum reddi; quia fornicari est intrinsece malum, nec sunt facienda mala, unde veniant bona. Quare in tali casu qui compellitur sub excommunicatione ad reddendum debitum, vel debet fugere, vel petere dispensationem, & iterum valide contrahere; vel si nihil possit, tam excommunicationem, quam qualibet alia incommoda patienter, & humiliter sustinere debet, ut dicitur in cap. Inquisitioni 44. de Sententia Excommunicationis.

Ad primam rationem in contrarium respondetur, conjugem, qui est in bona fide, habere jus petendi debitum dumtaxat apparens, non verum jus: Sicuti si publice probaretur, Titium debere Petro mille, quæ revera non debet, Petrus haberet jus tantum apparens; unde Titius in conscientia non teneretur solvere, aut si ad vitandum scandalum solveret, posset occulte repetere.

Ad secundam, negatur in casu nostro concurrere duo mala impossibilia; posita enim scientia nullitatis matrimonii, negando debitum, nec injustitia committitur, nec inobedientia Ecclesiæ præcepto; cum Ecclesiæ non possit præcipere peccatum. Quod spectat ad scandalum, non fiet,

ret, sed permitteretur: permitti autem potius debent quævis mala, quam committi peccatum.

VIII. Ad tertiam dico cum Less. de justitia cap. 29. dub. 10. ex Scotistis communiter, in utroque casu idem sentiendum: Quare non licet Judici damnare probatum Reum, quem privata notitia cognoscit innocentem. Dato autem, quod id liceat juxta contrariam opinionem Thomistarum, negatur consequentia. Disparitas est, quia propter commune bonum, & tranquillitatem Reipublicæ licitum est condemnare talem innocentem; quia bono vitæ particularis præponderat bonum commune, & Tribunalium debitus tenor: Sicut enim Respublica habet aliquando dominium in bona, ita forte etiam in vitam Civium, quando expedit bono publico, quod enucleatius discutiamus in de Censuris quæst. 1. art. 6. At Respublica non habet dominium in corpus ullius in ordine ad usum conjugalem, cum vix accidere possit, quod hoc sit necessarium ad bonum publicum; & ideo non licet in casu nostro reddere debitum, quodcumque scandalum, vel damnum sequatur.

Ad quartam, concesso antecedente, negatur consequentia; Peccator enim occultus habet verum jus justitiæ tuendi famam suam, seu ne publice infametur, negata sibi Eucharistia: Contra vero conjux ille non habet verum jus petendi debitum, sed habet tantum jus apparens, posita matrimonii invaliditate.

IX. Quæritur quinto; An dubius de valore matrimonii possit licite debitum petere, aut reddere?

Respondeo, & dico primo: Si post matrimonium bona fide contractum suboritur scrupulus ex levibus indiciis de validitate matrimonii, potest uterque debitum petere, ac reddere; Ratio est, tum quia scrupulus non est

sufficiens ratio ad privandum hominem jure suo; tum etiam, quia idem est judicium fori externi, & interni, quando forum externum non nritur falsa præsumptione; atqui in foro externo Judex per sententiam in casu nostro judicaret, quod possit peti, ac debeat reddi debitum; ergo idem judicandum est in foro conscientia.

Dico secundo: Qui bona fide contraxit matrimonium, & deinde dubitat de ejus valore, (verbi gratia, quia dubitat an prior uxor sit superstes,) antequam adhibeat diligentiam ad assequendam veritatem, non potest petere debitum, ut patet; quia se exponeret periculo fornicandi. Debet tamen reddere debitum alteri conjugi non dubitanti de valore matrimonii. Ratio est, tum quia alter conjux habet jus petendi, & est in possessione; ergo non reddendo fit contra jus illius, & peccatur contra justitiam: tum etiam, quia concurrentibus duobus malis minus est eligendum; atqui in casu nostro si reddatur debitum, reddens exponit se periculo peccandi contra castitatem; si vero non reddatur, exponit se periculo peccandi contra justitiam; & minus malum est cæteris paribus peccatum contra castitatem, quam contra justitiam; ergo reddendum potius debitum, quam non reddendum ante adhibitam diligentiam: Post adhibitam vero diligentiam, si adhuc dubium perseveret, potest etiam peti debitum, quia in dubio melior est conditio possidentis; possidet autem in casu nostro matrimonium.

X. Ex dictis sequitur primo, quod si uterque conjux dubitet de valore matrimonii, neuter possit petere, nec reddere, antequam adhibeat diligentiam ad veritatem assequendam. Ratio est, quia intantum posset reddi debitum, inquantum alter habet jus petendi; sed in casu nostro neuter

ter habet jus petendi; ergo neuter potest reddere.

Sequitur secundo, quod si solus petens debitum dubitet de valore matrimonii, non teneatur alter debitum reddere ante diligentiam adhibitam; cum neque in tali casu petens habeat jus petendi.

Sequitur tertio, quod in primo bimestri ante consummationem matrimonii nec possit reddi debitum petenti cum tali dubio ante diligentiam praemissam, quia neque petens habet jus petendi in tali bimestri; unde non fit contra iustitiam, si debitum negetur.

Dico tertio, qui mala fide contraxit matrimonium dubius de aliquo impedimento dirimente, non potest petere debitum, etiam post adhibitam diligentiam, si dubium adhuc perseveret. Ratio est, quia possessio mala fide incepta non tribuit jus, ut docent communiter Doctores, cum de Contractibus: Et qui mala fide coepit rem possidere, non potest illa uti, aut eam sibi retinere; ut docent etiam communiter Doctores, cum de restitutione; ergo qui mala fide contraxit matrimonium, non potest illo uti. Tenetur tamen reddere debitum ei, qui bona fide contraxit; quia hic habet jus petendi, nec potest eo spoliari per malam fidem alterius, ut docent Con., Bonac., Sanch. lib. 2. disp. 42. Si tamen uterque mala fide contraxit, neuter potest petere, aut reddere debitum; cum neuter habeat jus petendi.

XI. Dico ultimo; Qui post matrimonium bona, vel mala fide contractum incipit opinari, seu habere opinionem probabilem de invaliditate matrimonii, quin detur ulla probabilitas de ejus valore, non potest petere debitum, antequam ulterius de valore Matrimonii certificetur. Ita communiter cum Perez, Bonac., Sanch.

disp. 44. Ratio est, quia quamvis possessio suffragetur dubitanti, non tamen opinanti in contrarium; ergo si etiam post adhibitam diligentiam ad veritatem assequendam, adhuc probabile est, matrimonium esse nullum, nec ulla probabilitas datur de valore matrimonii, qui hanc opinionem habet, non potest petere debitum; quamvis possit, & teneatur reddere, si alter bona fide contraxit; cum nemo possit spoliari jure suo, & re, quam possidet per solam probabilitatem alterius, quod res illa sit illius, nisi certo id constet; ergo nisi certo constet matrimonium fuisse nullum, qui bona fide contraxit, & possidet matrimonium, non potest spoliari jure petendi debitum per solam opinionem alterius de nullitate matrimonii: Quare cum ille habeat jus petendi, alter tenetur reddere: Si tamen uterque habeat opinionem probabilem de nullitate matrimonii, neuter potest petere, aut reddere. Demum si alter habeat opinionem probabilem de nullitate matrimonii, & simul habeat opinionem probabilem de ejus valore, licite potest petere, ac reddere; cum possit amplecti alterutram opinionem probabilem, quam mavult, etiamsi una sit probabilior, quam altera.

Neque dicas; Si probabile est, priorem uxorem objisse, atque adeo secundum matrimonium esse validum, & simul probabile sit, non objisse, atque adeo secundum matrimonium esse invalidum, possessio stat pro impedimento, & pro invaliditate matrimonii; ergo falsum est, quod possit in tali casu peti, aut reddi debitum. Nam negatur antecedens; cum enim probabile sit, impedimentum dirimens esse sublatum, hoc est priorem conjugem objisse, non potest dici, quod impedimentum possideat. Praeterea diximus, possessionem favere solum dubi-

bitanti, non vero opinanti, seu habenti opinionem probabilem; ergo cum probabile sit, non adesse impedimentum, possessio non stat pro impedimento, atque adeo potest peti, ac reddi debitum. Verum tamen est, quod secundum matrimonium non poterat licite celebrari, si tantum probabile erat, & non moraliter certum, priorem conjugem objisse; unde si mala fide contraxerunt, non poterunt petere debitum ob solam probabilitatem mortis prioris conjugis.

XII. Utrum autem cum opinione probabili, quod nullum detur impedimentum jure Ecclesiastico dirimens matrimonium possit illud contrahi?

In expositione primæ Thesæ ab Innoc. XI. proscriptæ fuisse offendimus, id licere; non secus ac licet absolvere cum opinione probabili de jurisdictione, quin exponatur periculo frustrationis Sacramentum; quia in his casibus Ecclesia defectum supplet. Si tamen impedimentum dirimat jure divino, nequit matrimonium contrahi cum sola probabilitate, quod non detur hujusmodi impedimentum; eo quod exponeretur Sacramentum periculo frustrationis; & ideo non licet contrahere secundum matrimonium cum sola probabilitate de morte alterius conjugis; quia impedimentum ligaminis dirimit matrimonium jure divino.

ARTICULUS IV.

Utrum delectationes morosæ, tactus turpes, & alia hujusmodi liceant conjugibus?

I. *Conjugem in absentia alterius conjugis delectari venere de copula citra periculum pollutionis, videtur esse dumtaxat veniale. In viduis tamen id est mortale, sicut & in Sponsis.*

II. *Quid de tactibus, verbis turpibus, & aspectibus inhonestis inter conjuges?*

III. *Num Sponsis liceant oscula, & amplexus? & num citra mortale ordinari possint ad delectationem inde capiendam?*

IV. *Tactus impudici inter conjuges cum periculo pollutionis quandonam excusentur a culpa gravi?*

V. *Num sine lethali culpa possit conjugatus seipsum turpiter tangere præcise ob delectationem?*

VI. *Varie pœne statuta sunt Adulteris.*

VII. *Si conjugatus adulteretur cum alia conjugata, utriusque conjugium in confessione explicandum est.*

VIII. *Probabilis delectatio morosa non fert specialem malitiam in confessione explicandam per hoc, quod sit in conjugatis.*

IX. *Ut licite, & meritorie actus conjugalis exerceatur, octo observanda sunt.*

I. **Q**uæritur primo; An liceat conjugibus delectatio morosa de copula?

Respondeo cum Sanch. lib. 9. disp. 44. secluso pollutionis periculo, non esse mortale delectari conjugem venere de copula in absentia alterius conjugis, etiamsi sequatur commotio spirituum, &c.; sed esse tantum veniale; cum careat debito fine, ad quem talis delectatio a natura dirigitur. Ratio autem, cur non sit mortale, est, quia copula inter conjuges est licita; ergo etiam delectatio de tali copula; cum delectatio ordinetur natura sua ad actum, de quo est delectatio, neque possit esse illicita delectatio de actu hic, & nunc licito.

Dices: In vidua delectatio de copula præterita est illicita; sicut etiam Sponsis de copula futura, (ut dicemus quæsito tertio) ergo etiam in conjugate delectatio de copula, quando al-